
XXXVIII
TEGLIA

DE

DIVI IOSEPHI

LAVDIBVS

PANEGYRICVM

CARMEN

SERENISSIMO

FERDINANDO

ETRVRIÆ PRINCIPI

Dicat, Dedicat, Consecrat,

FRANCISCVS GREGORIVS PIVS DEL TEGLIA.







FLORENTIÆ, MDC LXXXII.

Sub Signo Passionis. *Superiorum permissu.*

SERENISSIME PRINCEPS.



Ndecimum annum quum vix excesserim, ætas certè mea non pateretur (Serenissime Princeps) vt has Musarum primitias, quæ immaturæ fortaſsè videri poterunt, Celsitudini tuę audacter inscriberem, exhiberemque. Verùm generosa illa, quà alijs omnibus

nibus præſtas, cuique, non Etruria, non Europa ſolùm, ſed & in admirationem conuerſus totus Orbis aſsurgit, auguſti Animi Indoles, & Regia planè Benignitas facit, vt TE egregium ipſius DEI imitatorem exiſtimem, qui & ditisſima potentum Virorum dona, & exiles tenuiorum Hominum oblationes non aſpernatur. Præterea quum Serenisſima, ac nunquam ſatis celebrata MEDICEA DOMVS, eximiam ſuæ pietatis vim, Progenitoribus meis nunquam non efficacem adeſſe voluerit; turpè eſſet beneficia non agnoſcere; turpiùs autem, agnita, laudibus ijſque paruitati meæ reſpondentibus, non recenſere. Adſpice, obſecro, Auguſte Princeps, ſingulari, quà ſoles Humanitate, Panegyricum Carmen, quod de Sanctisſimi Patriarchæ IOSEPHI Virtutibus, rudi licèt, atque humili ſtylo, concinnaui. Quod mihi erit maximo incitamento ad

ea in posterum prosequenda, quæ me quidem Serenitati, atque Excelsæ Domui tuæ inconcussà Obseruantià, & obedienti cultu, obsequentissimum semper ostendant. Vale.

Florentiæ V. Idus Martij 1682.

CELSITVDINI TVAE SERENISSIMAE

Humillimus, atque Addictissimus Seruus
Franciscus Gregorius Pius del Teglia.

IMPRIMATVR.

Cancellarius Sancti Officij Florentiae.

Robertus Pandolphinus S. C. S. Auditor.

DE

DIVI IOSEPHI

LAVDIBVS

PANEGYRICVM

CARMEN.

CASTE Senex, summi proles commissa Tonantis
Cui fuit, & thalami solers custodia sacri,
Quo MARIAE *prædulcis amor reptauit* IESVS,
Imò amor amborum, felix & cura Parentum;
Aggrediar nunc, Diue, tuas in carmine laudes,
Iuuerit atque illas tenero triuisse labello:
Tuque bonus Musas non aspernabere nostras,
Quamquam mortali canimus cælestia lingua,
Et pede non firmo Pindi iuga celsa subimus.
Vos, quæ Iordanis coluistis flumina Nimphæ
Assuetæ sacras audire, & reddere voces,
Nunc vestras opto tanta ad molimina vires,

Queis mihi Cyrrha patet, clara & Parnassia rupes
Pierides mihi vos estis; mihi Magnus Apollo,
Spiritus ille Sacer, qui solus & omnia complet,
Omnia qui refouet, fœcundat & omnia solus.
Iam sicuti puro lucescunt sydera Sole,
Et Cœlo rutilant, claras ductantque choreas;
Quas dum suspicimus circum præcordia ludit
Lætitia, & valde obtutu gaudemus in ipso;
Sic tibi, sancte Senex, quæ exornat plurima pectus
Gratia, Virtutum radios emittit, & ipsam
Illustrat claro perfundens lumine mentem.
Iustitia insignis Regum tot sceptra potentum
Iure tuo adnumeras; sed tu, qui clarior illis
Et Dauidis robur, Sophyæ quoque munere vincis
Quas docto Salomon meruit sibi pectore laudes.
Hinc prima assurgit, quæ ducit tempora circum
Lilia, & eximio candoris honore superbit
Virginitas, quæ infixa sedet pulcherrima cordi,
Et potis est puro cœlestes vincere Formas
Pectore, & æthereis censeri haud mentibus impar.
Illa quidem dio flos est perfusus odore,
Quem fouet ipse DEVS, *cœlesti atque afflat ab aura,*
AEterno vt possit donari munere veris.
Iungeret ergò tuis vt fulgida sydera sertis
Inserit ecce Rosam, qua non præstantior vlla est,
Talis & Eois nunquam concreuit in Hortis.

Illa

Illa etenim ſpinis iam non armatur acutis,
Quum traheret nullos Eua de crimine ſentes,
Sed proprijs ornata bonis, venerabilis aſtris
Purpureo iubare effulget, terriſque beatam
Oſtentat faciem, & dium promittit amorem.
Adſpice vt eximio MARIAE *connubia plauſu*
Excipiant Superi; viden vt ſpectanda renident
Lætitiæ data ſigna nouæ! viden arida flores
Vt virga emittit frondes mirata virentes,
Quæque ferant dulcem paruo poſt tempore fructum!
Eia age, quid dubitas? Pauidum de corde timorem
Excute; Diuinum neſcit nam fallere Numen,
Dum tibi miſſus adeſt de Cœlo nuncius ales,
Et dubiam firmant non vana inſomnia mentem.
Scilicet æthereo, IOSEPH, *tibi traditur axe*
Cura ingens, & Patris amor, tibi miris IESVS
Paret, & imperio gaudet iam ſubdere vitæ
Tempora, & ad nutus nil non gesſiſſe beatos,
Obſequioque ſuum ſeruare per omnia Regem.
Syrmate qui longo & claro diademate fulgent
Diuitijs Arabum, ſceptroque, armiſque potentes,
Ipſi equidem poterunt tibi Reges ire minores.
Nam licet in populos valeant ſua dicere iura,
Tu maior, qui iura DEO *tribuiſſe videris,*
Dum Regis, aſtrorum digito qui temperat orbes.
Hinc amor æternus miſerando in funere lethi

Te

Te sibi participem suprema uoluit hora,
Quum sua membra Cruci clauo subfixa trabali
Pendebant, plorare suum quum sydera Regem
Ceperunt, summum testantia cuncta dolorem.
Nam si pungenti redimitum tempora serto,
Vidissetque suum perfusum membra cruore
Purpureo, & plagis discissum pectora natum,
Vrgeret quantus Patri præcordia mæror!
Sed satis innumeros olim subijsse labores,
Quum MARIAE *socius potuisti longa viarum*
Emensus spatia in montes secedere Idumes,
Visere, & Elisabeth optatam protinus AEdem.
Quam benè silices poterat de vertice Lauros
Mons ille, & Sacras latè prætendere Palmas,
Et niueæ Cedros frondentes iungere Oliuæ.
Scilicet & IOSEPH *diuina percitus aura*
Gaudia sensisti, quæ Magni nuncia Verbi
Prodromus exultans de Matris protulit aluo.
Iam sat erat quondam natum vidisse dolentem
Cum tacuit rigido Bethleem lacrymabilis antro,
Pertulit & sæuæ crudelia tempora brumæ.
Iam sat erat, Solymas nupèr quòd vidit ad Aras
Fundentem innocuum patria sub lege cruorem.
Iam sat erat diræ fugisse pericula mortis,
Quum sibi Iessæi metuens discrimina Regni
Impius Herodes gladium perstrinxit acutum

In

In Iudæ pueros, vnus qui perderet omnes;
Iam sat erat IESVM *Patris monumenta docentem*
Fleuisse amissum, veluti qui perdidit auro
Insignem, & Scythico defossam litorem gemmam.
Hinc tibi Diuinus iam munera mille rependit
Filius, & tanto stant præmia digna labori.
Ecce Senex instant fugientis tempora vitæ,
Et patrio moriens, IOSEPH, *redderis Olimpo;*
Adstat Virgo Parens, tibi dulcis & adstat IESVS,
Tuque bonus voces audis, tu cernis vtrumque,
Qui Patri, & Sponso longum gratantur eunti.
Assuescas igitur summis, Pater optime, votis,
Vt mens nostra Polo nullius conscia culpæ
Reddatur, stygio non illudenda Tyranno.
Hæc age, iuste Senex, dum pura altaria donis,
Et Templi limen sacro cumulamus honore.
Euenient, si quis recolat tot gaudia; si quis
Quas tulit ærumnas IOSEPH *sub corde voluet.*
Ille etiam auxilium dextræ sensisse potentis,
Et poterit præsens Cælo cognoscere Numen,
Et magis, atque magis quum iam completa fugacis
Abscindent vitæ fatales stamina Parcæ
Scilicet hunc Solem, quo Cæli semita fulget,
Mente sequi fas est; sic nullis obrutus vmbris
Quisquis inoccidua rediuiuus luce fruetur.

FINIS.

7/6